UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Philippi Clvveri[i] Sicilia Antiqva

Clüver, Philipp

Lvgdvni Batavorvm, 1619

Cap. VIIII. Menae sive Menena urbs. Menenius fons; qui & Palicinus, & idem Lacus seu stagnum Palicorum, & Crateres Palicorum. Fanum Palicorum. Palice & Eryce opida. Eryces amnis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14145

Visual Library

adversùm eadem loca expeditione institutâ, primùm proxima ditioni suæ post Leontinos & Catanam, quæ nuperrimè subegerat, loca Murgantiam atque Sergentium cepit: deinde prorsùm pergens, cum Centuripinis, Agyrinensibus, Assorinis ac Herbitensibus fœdera percussit: mox Ennam, Cephalœdium ac Solûntem per proditiones occupavit: ac tandem cum Herbessensibus, circa Halycum amnem, qui nunc vulgò dicitur *Plátani*, incolentibus, pacem fecit. Antiquissima igitur isthæc est *Sergentii*, sive *Hergentii*, memoria, inter res gestas primi anni Olympiadis XCVI, quum Athenis summum gereret magistratum Phormio, à Diodoro adnotata. Hinc etiam Stephani epitomator: Ἐργέτιον, πόλις Σικελίας· φίλις & Σικελικῶν δευτέρα. τὸ ἐθνικὸν Ἐργετῖνος. Id est: *Ergetium, opidum Siciliæ; auctore Philisto, Sicular. rer. lib. II. Gentilitium, Ergetinus.* Philistus æqualis fuit Dionysii: resque gestas eorum temporum literis consignavit; testibus, Diodoro eodem lib. XIIII, & Svidâ in Lexico. Plinii adhuc exstitisse ætate, haud dubium est; quando is inter alios Siciliæ populos stipendiarios etiam *Ergetinos* recenset. Sed ad posteriora etiam durasse tempora, inde patet, quòd tam ingentes eius, ut suprà intellectum, reliquiæ ad nostrum hoc usque sæculum exstiterunt.

CAP. VIIII.

Menæ sive Menena urbs. Menenius fons; qui & Palicinus; item Lacus seu Stagnum Palicorum, & Crateres Palicorum. Fanum Palicorum. Palice & Eryce opida. Eryces amnis.

AB Hergetio versùs meridiem, inter Ennam & Syracusas, opidum est perantiquum, vulgari nunc incolis vocabulo *Menéo* sive *Minío* dictum. Id olim vocabatur plurali numero Μέναι, MENAE; testibus, Diodoro, Apollodoro, & Ptolemæo. unde *opidani* Μεναῖοι, MENAEI. qui Latino ore rectè formabuntur MENENSES. Stephani epitomator: Μένδαι, πόλις Σικελίας, ἐγγὺς Παλίκων· Ἀπολλόδωρος ἐν β' Χρονικῶν. τὸ ἐθνικὸν Μενδαῖος. Id est: *Mendæ, opidum Siciliæ, prope Palicos; auctore Apollodoro, in secundo Chronicorum. Gentilitium, Mendæus.* Scribendum esse Μέναι, ut est apud Ptolemæum, & gentilitium inde Μεναῖος, Ciceronis, Diodori, Plinii atque Vibii, testimonia convincunt. Vibius in Catalogo fontium: *Menais, Leontinorum: per quem cives eius loci timent jurare.* Nempe, non in urbe, sed in agro erat Leontinorum; ubi hodiéque prædictum opidum vocatur *Menéo*. Dicebatur autem Græcâ lingvâ κρήνη Μενέας· quod femininum erat gentilitium à præscripto masculino Μεναῖος. *Fons* autem iste *Menensis* sæpiùs lacus & stagnum sive crateres ebullientes Palicorum vocabantur, duo millia passuum à Menis opido disiti; ut mox monstrabitur. Apud Diodorum, sub finem libri XI, hæc leguntur: Μετὰ ταῦτα Δουκέτιος, ὁ τῶν Σικελῶν ἀφηγούμενος, τοὺς πόλεις ἀπάσας ὁμοεθνεῖς, πλὴν τῆς Ὑβλαίας, εἰς μίαν & κοινὴν ἤγαγε ζωπόλειαν. δραστικὸς δ' ὢν, νεωτέρων ὡρέξατο πραγμάτων, καὶ τῷ βίῳ τῶν Σικελῶν ἀθροίσας δύναμιν ἀξιόλογον, τὰς μὲν νέας, ἣν ὁ λεὼς αὐτῷ πατρίς, μετῴκισεν εἰς τὸ πεδίον, καὶ πλησίον τῶν καλουμένων Παλίκων ἔκτισε πόλιν ἀξιόλογον, ἣν ὀνόμασε Παλίκην. Id est: *Post hæc Ducetius, Siculorum princeps, omneis eiusdem gentis urbeis, præter Hyblam, in unam civitatis communionem redegit. & quia acri vir erat ingenio ac strenuus, novis ac magnificis rebus animum adjecit. Ex publico igitur Siculorum ærario magnis instructus opibus, Neas, quæ patria eius erat, in æquum & apertum campum transtulit, & prope fanum Palicorum urbem præclaram exstruxit, quam à dictis diis Palicam nuncupavit.* Omnino heic etiam pro τὰς μὲν νέας legendū esse τὰς Μέναι, vel ipse ille Stephani epitomatoris locus præscriptus evincit; quia uterque urbem eam ἐγγὺς sive πλησίον Παλίκων, id est, *prope Palicos*, refert. Apud Stephani epitomatorem quia sequebantur continuo ordine tria aliorum opidorum vocabula, quibus δ litera inerat, Μένδη, Μένδης, Μενδήμιον, facilem ea res præbuit lapsum librario, uti is præcedenti quoque voci Μέναι eamdem literam insereret. Sed in primis mirari heic liceat Fazelli errorem; qui *Neas* istas eamdem & *Neetum* urbem fuisse docet, quæ vulgò nunc incolis vocatur *Noto*. Verba eius, decad. I, lib. IIII, cap. II, hæc sunt: *Vrbs vetusta & ingens, Neæ Diodoro lib. XI, Neetum Ptolemæo, sed hodiè, unius tantùm vocalis antitheſi, Notum vulgò dicta. Condita fuit à Siculis; quantum ex lib. XI Diodori colligimus. ubi Neas Ducetii, Siculorum regis, patriam fuisse scribit. Fuisse autē Notum Neam urbem, cùm ex Ciceronis in Verrem*

MENAE, *sive* MENENA *urbs.*

verbis, quibus gentileis eius Neetinos adpellat, hoc est, Neam tenenteis, tùm ex Plinii lib. III *auctoritate, ubi Neenos eius populos, à Neâ procul dubio dictos, vocat, satis constat. Huc accedit Ptolemæus; qui ipsum Neetum, etsi corruptâ suo tempore, à verâ tamen derivatâ voce denominavit. Scribit lib.* XI *Diodorus, à Ducetio Neam in æquum campum translatam fuisse, cuius verbis quum in molis vertice,* VI *circiter milliarium leni adscensu ab hodierno Noti situ, pyramis adhuc & veteris circumquaq; ædificii monumenta distent, eius, quæ ante Ducetium stabat, vestigia esse, & hanc, quæ modò colitur, ab eo ipso conditam, non absurdè colligo; quum nominis perpetuitas & auctorum adsensus adfirmet. Sunt, qui, parùm advertentes, Neam Menæum esse scripserunt: quum in eodem lib.* XI *Neam diversam à Menæo faciat Diodorus: dum illam Ducetii patriam, & hanc ab eo conditam scribit.* Parùm peritum fuisse Fazellum Græcæ lingvæ, cùm ex aliis adparet documentis compluribus, tùm ex hoc eius manifesto constat testimonio, quod Decad. I, lib. VIIII, cap. IIII, inseruit his verbis: *Lapidem marmoreum vetustissimum offendi, Græcis inscriptum literis; quas in Latinum adverbum vertendas curavi.* Hinc etiam Decad. I, lib. III, cap. III, de Leontinorum urbe loquens: *Huic urbi vel à subitâ finium propagatione, vel à populi concursu, convenientissimum nomen primi eius habitatores imposuerunt. Leos enim Græcè populus est Latinè; & tinein Græcis extendere vel multiplicare Latinis sonat.* Sic igitur etiam à *Neæ* incolas *Neetinos* Ciceroni dictos putavit. At quis tam ignarus rei grammaticæ esse potest, qui nesciat, gentilitia sive derivativa esse vocabula Λεοντῖνοι, ac Νεητῖνοι, à primitivis vocibus Λέων & Νέητον: ut infinita alia per universum orbem terrarum? Apud Plinium verò non *Neeni*, sed *Noæni* leguntur opidani ab opido Νόαι, *Noæ*, Stephano, Svidæ, ac Favorino memorato: de quo suo loco plura dicentur. Verùm, uti leviora hæc mittamus; quum ipse Fazellus, Decad. I, lib. III, cap. II, & item lib. X, Palicorum lacus apud Mehæum opidum accuratè describat; Diodorus verò disertissimis verbis, Ducetium urbem illam, cuius vocabulum corruptum in Νέας esse dixi, transtulisse in planum campum & propè fanum Palicorum condidisse eam, quam Palicam adpellavit; ubi Stephanus Menas prope Palicos fuisse tradit: nescio, quibus rationibus Fazellus ductus, ad Neetum urbem ea verba trahere potuit. Cæterùm idem Diodorus eodem lib. XII anteà ita tradit: Ἀθλώνιδος μὲν ἄρχοντος ἐν Φιλοκλῆς, κατὰ δὲ τὴν Σικελίαν Δεκέλειος, ὁ τῶν Σικελῶν βασιλεὺς ὢν, ὠνομασμένος τὸ γένος, ἰσχύων δὲ καθ' ἑκάστους τοὺς χρόνους, Μέναινον μὲν πόλιν ἔκτισε, κατὰ τὴν χώραν τοῖς κατοικισθεῖσι διεμέρισε. Id est: *Athenis summum magistratum gerente Philocle, in Siciliâ Ducetius, Siculorum rex, genere adprimè nobilis, & opibus plurimum illâ tempestate pollens, Menænum urbem condidit: coloniisq; eò deductis finitimum agrum distribuit.* Ab hoc equidem vocabulo Μέναινον, MENAENVM, dici poterant opidani Μεναίνιοι, MENAENII; pro quibus apud Ciceronem, in Verrinâ III, MENENII leguntur: & ab eodem illo vocabulo dicti quoque videri poterant MENANINI Plinii, lib. III, cap. VIII: qui in duobus nummis, quos Goltzius refert, Græcis literis sunt Μηναννῖνοι. verùm, quia eo Diodori loco alia exemplaria habent Μέναιον, dubium est, an non ipse auctor scripserit Μεναίων πόλιν, id est, *Menæorum urbem*: usitatissimâ apud Græcos loquutione. Illi sanè Ciceronis *Menenii* à nullo alio vocabulo dicti sunt, nisi à Μένννα. quod ipsum derivativum fuit à primitivo Μέναι, quemadmodùm Ἀγύλλιον quoque & Μορχάνδιον, Γαλαξία, ac Τίστα, derivativis inde vocibus dictæ fuêre Ἀγύλληνα, Μορχάνδηνα, Γαλάξηνα, Τίστηνα: ut suprà cognovimus: quemadmodùm item Ἀγκύραι & Νέητον, dictæ fuerunt Ἀγκύρηνα & Νεήτηνα: ut pòst suo loco ostendetur. nam ab Μέναι, seu potiùs ab singularis numeri vocabulo Μένη, gentilitium in usu fuisse Μενηνὸς, quemadmodùm à Παλίκη & Ἐρύκη Stephani epitomator refert gentilitia Παλικηνοὶ atque Ἐρυκῖνοι, testatur antiquus nummus, quem Fazellus, Decad. I, lib. X, ad Menæi opidi descriptionem citat cum inscriptione, ut ipse quidem Latinis retulit literis, MENENON. qui haud dubiè ipsis Græcis fuit ΜΕΝΗΝΩΝ: seu fortè cum η in primâ syllabâ ΜΗΝΗΝΩΝ, ut illi alii duo Goltzii habent ΜΗΝΑΝΙΩΝ. quod vocabulum gentilitium est ab opidi nomine Μηνάνα: hoc verò idem quod Μένηνα: in primâ syllabâ ε in η, in secundâ η in α, mutatis. Sed de ipsis opidi opidanorumque vocabulis satis. Cæterùm Philocles, in cuius magistratu Menas condidit Ducetius, summus Athenienſium prætor fuit anno secundo Olympiadis LXXXI; id est, ante natum Christum anno CCCCLVIIII. Condidit autem eam urbem Ducetius, quia eo loco natus erat. Quinto vero anno pòst, ut testis est idem Diodorus, Lysicrate summum Athenis magistratum obtinente, eamdem urbem, in edito arduoque

colle

colle sitam, in quo etiamnunc conspicitur, sive incolas eius, μετῴκισεν εἰς τὸ πεδίον πλησίον τοῦ πηδοῦς τῶν ὀνομαζομένων Παλίκων, καὶ ἀπὸ τῶν θεῶν τούτων ὠνόμασε Παλίκην· id est, *transtulit in campum prope fanum Palicorum, & ab his diis nuncupavit Palicen.* nempe, quòd ab istius templi cultu atque celebritate ipsi etiam Meneniorum civitati maiorem frequentiam celebritatemque accessuram speraret: quod etiam ita evênit. sic quidpe superiore loco perscriptis verbis Diodorus subjicit ista: Δυκέτιος οὖν τὴν Παλίκην κτίσας, καὶ θαλαβὼν αὐτῇ ἀξιολόγῳ τείχει, καὶ κληρούχησε τὴν ὅμορον χώραν. Συνέβη δὲ τὴν πόλιν ταύτην, διὰ τὴν τῆς χώρας ἀρετὴν καὶ διὰ τὸ πλῆθος τῶν οἰκητόρων, ἐπὶ ἐλάχιστον λαθεῖν αὔξησιν. Οὐ πολὺ δὲ χρόνου διαμονήσασα καθεσκάφη, καὶ διέμεινεν ἀοίκητος μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων· ἐν οἷς ὧν τὰ κατ' μέρος ἀναγράψομεν ἐν τοῖς οἰκείοις χρόνοις. Id est: *Ducetius itaque, quum Palicen, ab se conditam, muro egregio cinxisset, agros circumjacentes civibus divisit. Quæ urbs simul ob soli ubertatem simulque propter incolentium multitudinem brevi mirum in modum crevit. At non diuturna fuit ea felicitas. siquidem haud ita multo pòst diruta est; & ad hoc usque tempus irreparata jecit. qua de re suo deinde loco singulatim dicemus.* Eâ de re nulla alibi, neque apud ipsum Diodorum, neque apud alium quemquam auctorem, exstat mentio. Incolas Palicæ ad pristinam suam inde rediisse sedem in *Menas* opidum, certum est; quando id in hanc usque diem eodem loco ac nomine durat; Cicero verò ac Plinius suorum temporum citant opidanos *Menenios*, sive *Menaninos*; & opidum etiam Ptolemæus *Menas*. de quo ita Fazellus, dicto decadis 1 lib. x: *Arcem habet & mœnia adhuc antiquissima. In eâ quoque urbe eiusque circùm agris numismata, in ære atque argento insigniter quidem expressa, cum hac inscriptione*, MENENON, *passim effodiuntur: visuntur q; veterum operum pleriq; in locis non obscura monumenta.*

Cæterùm duo millia passuum, ut suprà commemoravi, versùs septemtriones ab Menis opido occurrit Μεναΐς illa κρήνη, id est, FONS MENENSIS, sive MENENIVS: de quo ita Vibius, in Catalago fontium: *Menais, Leontinorum: per quem cives eius loci jurare timent.* Idem & Παλικίνη κρήνη, PALICINVS *fons*, ab adpositio templo Palicorum, dictus est; & item Λίμνη Παλίκων, id est, LACVS sive STAGNVM PALICORVM; & Κρατῆρες Παλίκων, CRATERES PALICORVM: poëtis autem, usitatissimâ eorum licentiâ, plurali numero, *Stagna & Lacus Palicorum*; quamquàm unus tantùm omni ævo fuerit lacus sive unum stagnum, ex quo crateres aquas sursum ejiciunt; ut mox patebit. Virgilius igitur, Aeneid. lib. VIII ita canit:

MENENIVS *sive* PALICORVM *fons; qui & lacus seu stagnum Palicorum.*

Stabat in egregiis Arcentis filius armis;
Pictus acu chlamydem, & ferrugine clarus Iberâ;
Insignis facie: genitor quem miserat Arcens,
Eductum Martis luco, Symæthia circùm
Flumina, pingvis ubi & placabilis ara Palici.

Ad hos versus Macrobius, Saturnalior. lib. v, cap. XVIIII, ita commentatur: *Quis hic Palicus deus, vel potiùs qui dii Palici, nam duo sunt, apud nullum penitus auctorem Latinum, quòd sciam, reperi. sed de Græcorum penitissimis literis hanc historiam eruit Maro. nam primùm, ut Symetus fluvius, cuius in his versibus meminit, in Siciliâ est; ita & dii Palici in Siciliâ coluntur: quos primùm Aeschylus tragicus, vir utique Siculus, in literas dedit: interpretationem quoq; nominis eorum, quam Græci ἐτυμολογίαν vocant, expressit versibus suis. Sed, priusquàm versus Aeschyli ponam, paucis explananda est historia Palicorum. In Siciliâ Symetus fluvius est. juxta hunc nympha Thalia, compressu Iovis gravida, metu Iunonis optavit, ut sibi terra dehisceret. Factum est. Sed ubi venit tempus maturitatis infantum, quos alvo illa gestaverat, recluſa terra est, & duo infantes de alvo Thaliæ progressi emerserunt: adpellatiq; sunt Palici ἀπὸ τοῦ πάλιν ἰέναι· quoniam, priùs in terram mersi, denuò inde reversi sunt. Nec longè inde lacus breves sunt: sed in immensum profundi, aquarum scaturigine semper ebullientes: quos incolæ Crateras vocant; & nomine Dellos adpellant: fratresque eos Palicorum æstimant; & habentur in cultu maximo. præcipuéque circa exigendum juxta eos jusjurandum præsens & efficax numen ostenditur. nam, quum furti negati vel eiusmodi rei fides quæritur, & jusjurandum à suspecto petitur; uterque ab omni contagione mundi ad Crateras accedunt; accepto priùs fidejussore à personâ, quæ juratura est, de solvendo eo, quod peteretur, si addixisset eventus. Illic, invocato loci numine, testatum faciebat, esse [ita,] jurator, de quo juraret. Quod si fideliter faceret, discedebat illæsus: si verò subesset jurijurando mala conscientia; mox in lacu amittebat vitam falsus jurator. Hæc res ita religionem fratrum commendabat, ut Crateræ quidem implacabiles, Palici autem placabiles vocarentur. Nec sine divinatione est Palicorum templum. nam, quum*

Siciliam sterilis annus arefecisset; divino Palicorum responso admoniti Siculi, heroi cuidam certum sacrificium celebraverunt: & revertit ubertas. qua gratiâ Siculi omne genus frugum congesserunt in aram Palicorum. ex qua ubertate ara ipsa pinguis vocata est. Hæc est omnis historia quæ de Palicis eorumque fratribus in Græcis tantummodò literis invenitur: quas Maro non minùs, quàm Latinas, hausit. Sed hæc, quæ diximus, auctoritatibus adprobanda sunt. Æschyli tragœdia est, quæ inscribitur Aetna. in hac quum de Palicis loqueretur, sic ait:

Τί δῆθεν αὐτοῖς ὄνομα τίθενται βροτοί;
Σεμνοὺς Παλίκους Ζοῦς ἐφίετο καλεῖν.
Ἢ καὶ Παλίκων ὀλόγως μένει φάτις·
Πάλιν γὰρ ἵκοντ' ἐκ σκότους τόδ' ἐς φάος.

[Id est:

Quod tandem iis nomen imponunt mortales?
Venerandos Palicos Iupiter voluit vocari.
Quæ etiam non sine ratione Palicorum manet dictio.
Rursus enim venerunt è tenebris in hanc lucem.]

Hæc Æschylus. Callias autem, in septimâ historiâ de rebus Siculis, ita scribit: Ἡ δὲ Ἐρύκη τῆς μὲν Γελῴας ὅσον ἑπτακόσια στάδια διέσηκεν. Ἔστι δὲ χέρρονησος τὸ τ' ὄρος καὶ τὰ παλαιὸν Σικελῶν γενομένη πόλις, ὑφ' ἣ καὶ τοῦ Δέλλης καλουμένους εἶναι συμβέβηκεν. ὅτι δὲ κρατῆρες δύο εἰσὶν, οὓς ἀδελφοὺς τῶν Παλίκων οἱ Σικελιῶται νομίζουσιν. ταὺς δὲ ἀναφορὰς τῶν παμφολύγων θαυμασίας βραχέσας ἔχουσιν. [Hoc est: *Eryce ab Gelensi agro* XC *circiter stadia diesita est. Vallis autem deserta & inculta sunt cùm mons, tùm quod olim in eo Siculorum fuit opidum: sub quo & Delli siti sunt. Hi crateres sunt duo; quos fratres Palicorum esse, Siculi existimant. Ebullitiones autem habent ferventibus similes.*] *Hactenus Callias, Polemon verò, in libro, qui inscribitur* Περὶ τῶν ἐν Σικελίᾳ θαυμαζομένων τόπων, *sic ait:* Οἱ δὲ Παλίκοι τεσσαρακοντόρμοροι, θεοὶ τοῖς ἐγχωρίοις αὐτόχθονες θεοὶ νομίζονται. ὑπ' ἀρχὴν δὲ τούτων ἀδελφοὶ Κρατῆρες καμαίζηλοι. προσιέναι δὲ ἁγισθέντας χρὴ πρὸς αὐτὸς ἐπό τι παντὸς ἁγνὸς ζωσίας, ἔν τι καινῶν ἐνδυμάτων. Φέρεται δὲ ἀπ' αὐτῶν ὁσμὴ βαρεῖα θείου, καὶ τοῖς πλησίον ἰσχυρὸς καρηβάρησιν ἐμποιοῦσα δηλητήριον. τὸ δὲ ὕδωρ ἐστὶ θολερὸν αὐτῶν, ἐπὶ πλεῖον ὁμοιότατον καμαὶ ῥύπῳ λάκκῳ. Φέρεται δὲ κολπώδους τι καὶ παφλάζον, οἷαί εἰσιν αἱ δῖναι τῶν ζεόντων ἀναβολάδων ὑδάτων. Φασὶν δ' εἶναι καὶ τὸ βάθος ἀπέραντον τῶν κρατήρων τούτων, ὥς τι ἐς βᾶς εἰσπεσόντας ἠφανίσθαι ἐς ζεῦγος ὄνικον ἐλαυνόμενον, ἔτι δὲ φορβάδας ἀναλουμένας. ὅρκος δέ ἐστιν τοῖς Σικελιώταις μέγιστος καθηγεμόνων τῶν προκληθέντων. οἱ δὲ ὁρκωταὶ, γραμμάδιον ἔχοντες, ἀγορεύουσιν τοῖς ὀρκωμόσοις περὶ ὧν ἀπειλήσουσι τὸν ὅρκον. ὁ δὲ ὁρκόμοσος, ἀλλὸν κεφαλαίνων, ἐστεμμένος, ἄζωστος καὶ μονοχίτων, ἐφαπτόμενος δεξιᾶς κρατῆρος ἐξ ὑποβολῆς δίεισι τὸν ὅρκον. καὶ αὖ μὲν ἐμπεδῶσι τὰς ῥηθείσας ὅρκους, ἀσινὴς ἄπεισιν οἰκάδε· παραβάσεως δὲ γενομένου τῶν θεῶν ἐμποδὼν πλοῦτος. τούτων δὲ γινομένων, ἐγγυηταὶ ὑποσχνοῦνται καθαγνὸν τοῖς ἱερεῦσιν, ἐάν τι νεαρὸν ἡλικίαν καθαρσίων ὀφλισκάνωσιν, τοὺς θεογνομένους. Περὶ δὲ τὸν τόπον τὸν ὠκησαν Παλικλωὶ πόλιν ἐπώνυμον τούτων τῶν δαιμόνων Παλικλῶ. [Hoc est: *Palici qui dicuntur, ab incolis pro diis indigenis habentur. Horum fratres sunt Crateres humi depressi. Ad eos accedere qui velint, ab omni scelere atque contagione mundi sint, & novis vestibus amicti, oportet. Gravis odor sulphuris, & qui horrendam prorè adstantibus capitis gravedinem inducit, inde exit. aquaque eorum est turbida, ac colore simillima albæ illuvieî, quæ humi sita est. Ea egeritur voragine æstuante, strepitumque edente ingentem: quales sunt gurgites sursum ebullientium aquarum. Sed & profunditatem horum craterum aiunt esse infinitam; ita, uti, si boves incidant, vel asini bijugi in id præcipitentur, vel vaccæ insiliant, nusquàm adpareant. Cæterùm jusjurandum heic est Siculis maximum; quo se purgant, qui aliquo crimine accusantur. Qui id jusjurandum exigunt, tabellam tenentes prædicunt juraturis de quibus rebus jusjurandum exacturi sint. qui jurat, ramum vibrans, sertoq; redimitus, & discinctus, simplicique tunicâ indutus, ac manu contingens craterem, verba præeuntis sequens jusjurandum peragit. Quod si verè ac bonâ fide in prædicta verba juret: illæsus atque incolumis domum discedit. sin verò pejeret; ante ipsos deos exspirat. Quum autem hæc fiant, fidejussores dant, qui sacerdotibus solvant expiationem, si quid novi eveniat piaculo obnoxiis. Cæterò circa hunc locum Paliceni inhabitabant urbem diis cognominem Palicen.*] *Hæc Polemon. Sed & Xenagoras, in tertiâ historiâ suâ, de loci divinatione ita scribit:* Καὶ οἱ Σικελοὶ, τὴν γῆς ἀφορίαν, ἔθυσάν τινι ἥρωϊ, προσεζήτουν αὐτοῖς ἐκ Παλίκων χρησμόν· καὶ μετὰ τὴν ἐπάνοδον τῆς εὐφορίας πολλοῖς δώροις τὸν βωμὸν τῶν Παλίκων ἐνέπλησαν. [Id est: *Tunc Siculi, sterilitate agrorum obortâ, heroi cuidam sacrificarunt, Palicorum oraculo admoniti. quumque ubertas rediisset, multa dona in Palicorum aram congesserunt.*] *Absoluta est, æstimo, & auctoribus idoneis adserta*

ſerta explanatio Virgiliani loci: quem literatores noſtri nec obſcurum putant; contenti, vel ipſi ſcire, vel inſinuare diſcipulis, Palicum dei eſſe cuiusdam nomen. quis ſit autem deus iſte, vel unde ſit dictus, tàm neſciunt, quàm ſcire nolunt: quia nec, ubi quærant, ſuſpicantur; quaſi Græcæ lectionis expertes. Servius in præſcriptum Virgilii locum ita commentatur: *Palicorum talis eſt fabula: Aetnam nympham, vel, ut quidam volunt, Thaliam Iupiter quum vitiaſſet, & feciſſet gravidam; timens Iunonem, ipſam puellam terræ commendavit: & illic enixa eſt. Partus eius poſteà quum de terrâ erupiſſet, duo pueri Palici dicti ſunt, quaſi iterum venientes: nam πάλιν ἰκειν eſt iterum venire. Hi primò humanis hoſtiis placabantur: poſteà quibusdam ſacris mitigati ſunt: & eorum immutata ſacrificia. inde ergo placabilis ara. Palicos nauticos deos Varro adpellat.* Haud dubiè eosdem intellexit Varro, qui aliàs dicebantur Romanis *Caſtores*; ſeu discretis etiam nominibus, *Caſtor & Pollux.* de quibus ita Virgilius, Aeneid. lib. VI:

Si fratrem Pollux alternâ morte redemit:
Itque reditque viam toties.

Nempe fabulabantur antiqui; quum cæsus à Lynceo eſſet Caſtor, immortalem Pollucem à patre Iove immortalitatem fratri petiiſſe. quam quum obtinere nequiſſet; impetraſſe tamen, ut dimidium ſuæ impertire illi poſſet. proinde alternis eos occidere atque reviviſcere dicebant. Invocabantur autem in tempeſtatibus ut dii marini ſeu nautici à nautis. Porrò apud Stephani epitomatorem ita ſcriptum eſt: Παλίκη, πόλις Σικελίας. Θεόφιλος ἢ ἐν ἑνδεκάτῳ θεογονίας Σικελίας, Παλικίνην κρήνην φησὶν εἶναι· πλησίον δ' αὐτῆς ἱερὸν Παλίκων· οἵ εἰσι δαίμονες δύο, ὡς Αἴσχυλος ἐν Αἰτναίοις ἱστορεῖ Διὸς καὶ Θαλείας, ἢ Αἰτνης· Σιληνὸς ἢ ἐν δευτέρῳ, Αἴτνης, ἢ Ὠκεανοῦ, καὶ Ἡφαίστου· καληθῆναι δ' αὐτοὺς Παλίκους διὰ τὸ δὶς τεθνηκότας πάλιν εἰς ἀνθρώπους ἰκέσθαι. Ἔστι δὲ καὶ κρήνη τις ἐν Παλίκοις τῆς Σικελίας, ὡς δεκάπλεθρον. αὕτη δ' ἀναβρήγνυται ὕδωρ εἰς ὕψος ἐξ πήχεις· ὥστε ὑπὸ τῶν θεωρούντων νομίζειν καταβλυσθήσεσθαι τὸ πεδίον· καὶ πάλιν εἰς ἑαυτὸ καθίστασθαι. Ἔστι δὲ καὶ ὅρκος ἄγιος αὐτόθι. ὅταν γὰρ ὀμνύει τις, εἰς πινάκιον γράψας, βάλλει αὐτὸ εἰς τὸ ὕδωρ. ἐὰν μὲν οὖν ψευδορκῇ, ἀποπαλίζει· ἐὰν δὲ μὴ ἐπιορκῇ, τὸ μὲν πινάκιον ἀφανίζεται, αὐτὸς δὲ πίμπρασθαι. Hoc eſt: *Palica, opidum Siciliæ. Theophilus autem, deſcriptionis Siciliæ lib.* XI, *Palicinum ait eſſe fontem; ac prope eum templum Palicorum: qui duo ſunt genii; quos Aeſchylus, in Aetnâ tragœdiâ, filios facit Iovis ac Thaliæ, Vulcani filiæ: Silenus verò, lib.* II, *Aetnæ, Oceani filiæ, & Vulcani. Dictos autem Palicos aiunt, quòd, quum mortui eſſent, rurſum ad mortaleis redierint. Eſt etiam fons quidam apud Palicos in Siciliâ, amplitudine decaclinus. Is aquam ejicit ad altitudinem* VI *cubitorum; tantâ copiâ, uti ſpectantes putent campum eum omnem inundaturum. ac rurſum in ſeſe redit. Eſt ibidem & ſanctum jusjurandum. quidpe is, qui jurat, ea, quæ jurat, tabellæ inſcripta in aquam immittit. quòd ſi bonâ fide juret; tabella innatat: ſin verò pejeret; ſubmergitur atque evaneſcit: ipſe autem comburitur.* Vltima hæc de fonte apud Palicos ex Ariſtotelis libro de Mirandis deſumta ſunt: ubi hæc inſuper addita: Διὸ δὴ λαμβάνειν τὸν ἱερέα παρ' αὐτῶν ἐγγύην ὑπὲρ τοῦ καθαίρειν καὶ τὸ ἱερόν. Id eſt: *Quocirca fidejuſſorem capit ab ipſo ſacerdos de expiando purgandoque fano.* Sed de Palicis eorumque lacu omnium optimè ſcribit Diodorus Siculus, lib. XI, his verbis: Μετὰ δὲ ταῦτα Δεκέτης, ὁ τῶν Σικελιωτῶν ἀφηγούμενος, τὰς πόλεις ἀπέστησε τὰς ὁμοεθνεῖς, πλὴν τῆς Ἴβλας, εἰς μίαν καὶ κοινὴν ἦγαγε ζωπόλειαν. δραστικὸς δὲ ὢν, νεωτέρων ἐφίετο πραγμάτων, καὶ παρὰ τοῦ κοινοῦ τῶν Σικελῶν ἀθροίσας δύναμιν ἀξιόλογον, τὰς μέν, ἃς ἐκ αὐτοῦ πατρὸς, μετῴκισεν εἰς τὸ πεδίον, καὶ πλησίον τοῦ τεμένους τῶν ὀνομαζομένων Παλίκων ἔκτισε πόλιν ἀξιόλογον, ἣν ἀπὸ τῶν περιεχόντων θεῶν ὠνόμαζε Παλίκην. Ἐπεὶ δὲ τοῖς θεοῖς τούτοις ἐμνήσθημεν, οὐκ ἄξιον ἐστὶ παραλιπεῖν τὴν περὶ τὸ ἱερὸν ἀρχαιότητα καὶ τὴν ἀπιστίαν, καὶ τὸ ζώολον τὸ περὶ αὐτὸ ὀνομαζομένους Κρατῆρας ἰδίωμα. μυθολογοῦσι γάρ, τὸ τέμενος τοῦτο Δημέτερον εἶναι τῶν ἄλλων ἀρχαιότητι καὶ σεβασμῷ, πολλῶν ἐν αὐτῷ παραδόξων παραδεδομένων. πρῶτον μὲν γὰρ κρατῆρες εἰσὶ, τῷ μεγέθει μὲν οὐ κατὰ πάνυ μεγάλοι, ἀπυθῆρες δ' ἐξαισίως ἀναβάλλοντες, ἐξ ἀμυθήτου δὲ βυθοῦ, καὶ παραπλήσιον ἔχοντες τὴν φύσιν τοῖς λέβησι τοῖς ὑπὸ πυρὸς πολλὰ κεκμηκόσεις, καὶ τὸ ὕδωρ διαπυρον ἀναβάλλειν. ἔμφασιν μὲν οὖν ἔχει τὸ ἀναβαλλόμενον ὕδωρ ὡς ὑπ' ἀρχὴ διαπυρον· ἐ μὴν ἀπέλυθη τὴν ὀπτησιν ἔσχε, διὰ τὸ μηδένα τολμᾶν ἅψασθαι τότε· τηλικαύτην γὰρ ἔχει καταπληξιν ἡ τῶν ὑδάτων ἀναβολὴ, ὥστε δοκεῖν ὑπὸ θείας τινὸς ἀνάγκης γίνεσθαι τὸ συμβαῖνον. τὸ μὲν ὕδωρ θεῖον καθαρὸν τὴν ὄσφρησιν ἔχει· τὸ δὲ χάσμα βρόμον πολὺν καὶ φοβερὸν ἐξίησι. τὸ δὲ δὴ τούτων παραδοξότερον, ὅτι ὑπερεκχεῖται τὸ ὑγρὸν, ἅτε δὲ ὀπολείπει, κίνησιν ἢ καὶ βίαν ῥεύματος εἰς ὕψος ἐξαιρομένην ἔχει θαυμάσιον. Τοσούτης δὲ θεοπρεπείας ὄσης περὶ τὸ τέμενος, οἱ μέγιστοι τῶν ὅρκων ἐντεῦθεν ζωπολοῦνται, καὶ τοῖς ἐπιορκήσασι ζώστομος ἡ δαιμονία κόλασις ἀκολουθεῖ. ἵνες γὰρ τῆς ἐράσεως στερηθέντες τὴν ὄψιν ἄφοδον πιοῦσιν. μεγάλης δ' ὄσης δεισιδαιμονίας, οἱ τὰς ἀμφισβητή-

ὡς ἔχοιμες, ὅταν ὑπὸ ὑν@ ὑπεροχῆς καλοχύωντω, τῇ Δὶ τ ὅρκων τύτων αὐαιρέσ κρίνοντω. Ἔ ει ἢ τῦτο τὸ τίμρ@ ἔκ ὑνων κρεῶν ἄσυλον τετηρημρον, Ϛ τοῖς ἀτυχῦσιν οἰκέτης ἢ κυρίοις ἀγνώμοσι πεπτωκόσι πολλὰ παρέχετω βοήθεια. τὰς γὰρ εἰς τῦτο καταφυγόνας οὐκ ἔχυσιν ἐξυσίαν ὁ δεσπότης βιαίως ἀπάγειν, Ϛ μέχρ τύτ Δαμβάνζιν ἀσινεῖς, μέχρις ἂν ὅτι διωρισμρίοις φιλανθρώποις πείσωσιν οἱ κύριοι, κὴ δόντις Δὶ τ ὅρκων τὰς πρὸς τ ὁμολογιῶν πίστις, ἀπολαγῶσι. κὴ ὑδὲς ἰσυρεῖτω τ δεδωκότων τοῖς οἰκέτης πίστιν πιύτιν ψεύβας. ὕτω γὰρ ἡ τ θεῶν δεισιδαιμονία τὰς ὁμόσωτας πρὸς τὰς ὅλλας πίστεις πιεῖ. Ἔ ει ἢ κ τὸ τίμρ@ ἐν πεδίῳ θεοπρεπῆ κείμρον, κὴ σεμνῶς Ϛ τῆς ἄλλως καλλύσεσιν ἱκανῶς κεκοσμημρον. Hoc est: *Post hæc Ducetius, Siculorum princeps, omneis eiusdem gentis urbeis, præter Hyblam, in unam civitatis communionem redegit. & quia acri vir ingenii ac strenuus erat: novis ac magnificis rebus animum adjecit. Ex publico enim Siculorum ærario magnis instructus opibus, urbem Menas, quæ patria eius erat, in apertum campum transtulit: & prope fanum Palicorum urbem præclaram condidit, quam à dictis diis Palicam nuncupavit. Heic, quia de diis istis incidit mentio, haud dignum foret, templi illius vetustatem & incredibilem rerum ibidem contingentium insolentiam, ac in primis singulare Craterum illic, quos vocant, miraculum silentio transire. Fanum igitur hoc tùm antiquitate tùm religiosâ veneratione, quòd multa in eo rara & stupenda eveniant, cæteris omnibus longè anteire traduut. Ac primùm crateres illic exsiliunt, amplitudine quidem haud perinde vasti, cæterùm qui è profunditate inenarrabili scintillas ingenteis eructant; lebetum naturam referentes vi igneâ æstuantium, unde fervens aqua ebullit. Speciem quidem ignei fervoris aqua illa subsultans præbet; at nihildum certi exploratum habetur: quum nemo hactenus contingere eam ausus sit. tanto enim cum stupore exæstuatio illius humoris conjuncta est, uti à divinâ quadam necessitate procedere existimetur. Aqua tamen sulphuris odorem exuberantis refert: & vorago illa rugitum ingentem atque horrendum emittit. Tum; quod longè admirabilius, humor ille neque superfunditur, neque subsidit. sed perpetuo agitatus motu, stupendâ profluxus vi in altum se extollit. Quum itaque tam divina fanum illud maiestas obtineat; sanctissima illic juramenta præstantur. & repentina numinis vindicta pejerantibus incumbit. nonnulli enim oculis capti delubro excedunt. Ingens igitur loci religio efficit, ut, arduis intricati controversiis, quando superioris potentiæ injuriâ premuntur, juris tandem jurandi religione interpositâ, exitum causæ inveniant. Præterea fanum hoc per aliquod jam tempus inviolatissimum est asylum; quod servis ærumnâ aliquâ oppressis, dominosq; inclementeis nactis, plurimum auxilii præbet. etenim, qui illuc confugerint, eos per vim dominis abducere haud licet: sed inviolati illic permanent, donec per benevolos domini arbitros persvasi, fide securitatis juramento firmatâ, illis reconcilientur. Nec ullus memoriæ proditus reperitur, qui datam servis fidem violârit. adeò deûm metus jurata servis fideliter servare dominos cogit. Cæterò situm hoc templum est in campo lætissimo ac deorum maiestate maximè digno: porticibus atque aliis diversoriis magnificè exornatum.* De hoc Palicorum lacu ita tradit nostri sæculi scriptor Fazellus, decad. I, lib. III, cap. II: *Lacus inter Menæum opidum & hospitium Gutterræ, non magni ambitus, ad radices cuiusdam collis, paullo infra Symæthi capita, adhuc exstat, Napthia ætate meâ vulgò adpellatus. qui adsiduam scaturiginem turbulentarum ac penè sulphurearum aquarum, tribus in medio crateribus, ad treis circiter cubitos in altum ejectans, non aliter quàm subjectis ignibus fervens ebullit olla. cuius aquæ, ad perpendiculum cadentes, numquàm effluunt: sed rursum in eumdem sinum, qui eo tamen non sit amplior, recipiuntur ac residunt.* Et aliquanto pòst: *Exstant hodiè templi ipsius magna circa lacum & ea pro maiori parte obruta monumenta. Lacus autem ipse ad angulum planitiei est circa collis radices, turbidus, & mali odoris, ambitus passuum non minùs centum. in cuius quoque medio tres sunt, veluti ollæ sub igne ferventis, aquarum scaturigines. quæ continuâ etiamnum eructatione ad treis circiter cubitos in altum, comitante perpetuo æstus murmure, aquas efferunt, rursumque cadenteis in sinum recipiunt. Aquas huius stagni si manè ante Solis exortum bruta potaverint, repentino propè interitu occidunt. nam licèt frigidæ sint, turbidæ tamen, & dirum exhalantes odorem; qui ex sulphuris bituminisque materiâ, qua stagni fundus plenus est, ut bullæ ex eo aliquando efflatæ indicant, generatur. Hinc adeò perniciosæ sunt eius aquæ, ut non solùm potantia bruta, sed supervolanteis plerumque aveis in periculum agant. nam ex aquarum huiuscemodi vaporibus aër inficitur; & quò deterior est materia, eò concretior redditur: quo inspirato, perinde ut gustato veneno, aves pereunt. Ætate meâ quum aliquando Sicilia siccitate laboraret, stagnum hoc prorsus exaruit. è cuius tum crateribus, ventis solùm furentibus, pulvis tantùm efflabatur.* Hinc etiam Plinius, lib. XXXI, cap. II: *Necare aquas Theopompus & in Thraciâ apud Cychros dicit; Lycus, in Leontinis tertio die, si quispiam biberit:*

Varro,

Varro, ad Soracten, in fonte, cuius sit latitudo quatuor pedum. Hæc cum malè interpunctionibus distincta forent, Fazellus, decad. I, lib. III, cap. III, perperam ita expositi: *Fontem esse in agro Leontino, Lycum nomine, nobis hodiè incompertum, lib.* XXXI, *cap.* II *Plinius tradit: qui adeò pestilens est, ut, si quis ex eo potaverit, tertio die emoriatur.* Verùm quid Plinius intellexerit, patet ex Antigoni libro de Mirandis; ubi ita scriptum est: Ἐν δὲ τῇ Λεοντίνων, ἱστορεῖν Λύκον, οὗτον ὀνομαζομένης [Κρατῆρας] αὐαζεῖν μὲν ὡς θερμότατον τῶν ἐψομένων, ταῖς δὲ πηγαῖς ἔχειν ψυχράς· τῶν ἢ πλησιαζόντων αὐτοῖς, τὸ μὲν ὀρνίθων ἧττον ἀποθνήσκειν ὕδατος, οὗτον δὲ ἀνθρώπους μὴ τελεῖν ἡμέραν. Id est: *In Leontinorum autem agro, tradere Lycum, [Crateras,] quos vocant, adeò effervere, ut elixorum nihil sit calidius; fonteis autem habere frigidos. si qua avis adpropinquet, statim: sin homo, tertio pòst die mori.* Nempe hæc est illa aqua, de qua ita Vibius, in Catalogo fontium: *Menaïs, Leontinorum: per quem cives eius loci timent jurare.* Vnde etiam liquidò adparet, inserendam esse lacunoso in vulgatis exemplaribus loco vocem Κρατῆρας. Præter jam memoratos auctores, sic etiam Strabo lib. VI: Οἱ Παλίνοι δὲ κρατῆρας ἔχουσιν ἀναβάλλοντας ὕδωρ εἰς ὀλοειδῆ ἀναφύσημα, καὶ πάλιν εἰς τὸν αὐτὸν δεχομένους μυχόν. Id est: *Palici crateras habent, qui aquas in rotundam fastigiatamque formam exsufflant, rursumque in eumdem recipiunt sinum.* Sanè Menenius iste sive Palicorum lacus omnibus condicionibus par est Amsancti in Hirpinis lacui; quem in Italiæ opere descripsi: nisi, quòd hic in Italiâ atram habet aquam, & craterem dumtaxat unum. Meminit Palicorum lacus Ovidius quoque, Μεταμορφώσεων lib. V; ubi raptum Proserpinæ describit his verbis:

Haud procul Ennæis lacus est à mœnibus altus,
Nomine Perguſa.
Silva coronat aquas, cingens latus omne: suisq;
Frondibus, ut velo, Phœbeos submovet igneis.
Frigora dant rami, varios humus humida flores.
Perpetuum ver est. Quo dum Proserpina luco
Ludit, & aut violas aut candida lilia carpit;
Penè simul visa est dilectaque raptaque Diti.
Raptor agit currus; &, nomine quemque vocando,
Exhortatur equos: quorum per colla jubasque
Excutit obscurâ tinctas ferrugine habenas:
Perque lacus altos & olentia sulfure fertur
Stagna Palicorum, ruptâ ferventia terrâ:
Et, quà Bacchiadæ, bimari gens orta Corintho,
Inter inæqualeis posuerunt mœnia portus,
Est medium Cyanes & Pisæa Arethusæ,
Quod coit angustis inclusum cornibus æquor;
*Heic * *
Terribileisque hortatus equos, in gurgitis ima
Contortum valido sceptrum regale lacerto
Condidit. icta viam tellus in Tartara fecit;
Et pronos currus medio cratere recepit.

Nempe ab Ennâ & Pergusâ lacu ad Syracusas & Cyanes fontem sive stagnum rectissima brevissimaque erat via per Palicorum lacum. Hinc etiam ita canit Fastor. lib. IIII, in eâdem de raptu Proserpinæ historiâ:

Panditur interea Diti via. namque diurnum
Lumen inadsueti vix patiuntur equi.

De cætero τὸ ἱερὸν τῶν Παλίκων, FANVM PALICORVM haud procul fuisse ab dicto lacu, patet ex Aristotelis suprà citatis verbis istis: Διὸ δὴ λαμβάνειν τὴν ἱερέα πῦρ αὐτοῦ τοῦ ἱεροῦ ἐγγύαν ὑπὲρ τοῦ καθαίρειν ἅτε τὸ ἱερόν. Id est: *Quocirca sidejussorem capit ab ipso sacerdos de purgando expiandoque fano.* Hinc etiam Fazellus, præscripto loco: *Exstant hodiè templi magna circa lacum & ea pro maiori parte obruta monumenta.* Et Stephani epitomator: Θεόφιλος ἐν ἑνδεκάτῳ περιηγήσεως Σικελίας, Παλικάνλῳ κρήνῃ φησὶν εἶναι· πλησίον δ' αὐτῆς ἱερὸν Παλίκων. Id est: *Theophilus, descriptionis Siciliæ lib.* XI, *Palicinum ait esse fontem; ac prope eum templum Palicorum.* Diodorus, dicto lib. XI, μυθολογοῦσιν, inquit, τὸ πρᾶγμα τοῦτο διαφέρειν τῶν ἄλλων ἀρχαιότητι καὶ σεβασμῷ. id est: *Fanum hoc antiquitate simul & religiosâ veneratione cæteris præcedere tradunt.* Ergo jam Aeschyli haud dubiè exstitit tempestate;

PALICORVM fanum.

ſtate; quem *primum Palicos deos in literas dediſſe*, ſuprà è Macrobio intelleximus. is autem claruit circa Olympiadem LXXV; annis ante natum Ieſum CCCCLXXX. Magnificentiam eius idem adnotavit Diodorus his verbis: Ἔστι δὲ τὸ πρόπυλον στοαῖς καὶ ἄλλαις καταλύσεσιν ἱκανῶς κεκοσμημένον. Id eſt: *Templum porticibus atque aliis diverſoriis magnificè exornatum eſt.*

PALICA *urbs.* Haud procul à Palicorum templo fuit illa à Ducetio condita Παλίκη πόλις, PALICA *urbs.* unde opidani dicebantur Παλικηνοὶ, PALICENI. Stephani epitomator: Παλίκη, πόλις Σικελίας. ὁ πολίτης Παλικηνὸς, ὡς τὸ Ἐρύκης Ἐρυκηνός· καὶ τὸ θηλυκὸν Παλικηνή. Id eſt: *Palice, urbs Siciliæ. opidanus, Palicenus; ut ab Eryce Erycenus: & femininum Palicena.* Apud Macrobium dicto Sat. lib. V, cap. XVIIII ex Polemonis libro Περὶ τῶν ἐν Σικελίᾳ θαυμαζομένων ποταμῶν, id eſt, *De admirabilibus Siciliæ fluminibus*, hæc leguntur poſt lacus Paliceni deſcriptionem: Περὶ δὲ τὸν τόπον τοῦτον ᾤκησαν Παλικηνοὶ πόλιν ἐπώνυμον τούτων τῶν δαιμόνων Παλίκην. Hoc eſt: *Circa hunc locum Paliceni inhabitarunt urbem diis cognominem Palicen.* Sed omnium copioſiſſimè hanc deſcribit Diodorus, in dicto lib. XI, his verbis: Μετὰ δὲ τοῦτα Δουκέτιος, ὁ τῶν Σικελιωτῶν ἀφηγούμενος, τὰς πόλεις ἁπάσας τῆς ὁμοεθνεῖς, πλὴν τῆς Ὑβλας, εἰς μίαν ἐκοινώνησε πολιτείαν. θρασυκὴς δ' ὢν, νεωτέρων ὠρέγετο πραγμάτων, καὶ φιλὸς ἐκ κοινοῦ τῶν Σικελῶν ἀνηρείσατο δύναμιν ἀξιόλογον, τὴς Μένας, ἧπις ἰδίᾳ αὐτοῦ πατρὶς, μετῴκισεν εἰς τὸ πεδίον, καὶ πλησίον ἐκ πρόκης τῶν ὀνομαζομένων Παλίκων ἔκτισε πόλιν ἀξιόλογον, ἣν ἀπὸ τῶν προειρημένων θεῶν ὠνόμασε Παλίκην. * . * . * . * . Ὁ γὰρ Δουκέτιος τὴν Παλίκην κτίσας, καὶ περιλαβὼν αὐτὴν ἀξιολόγῳ τείχει, κατεκληρούχησε τὴν ὅμορον χώραν. συνέβη δὲ τὴν πόλιν ταύτην, διὰ τὴν τῆς χώρας ἀρετὴν καὶ διὰ τὸ πλῆθος τῶν οἰκητόρων, ταχεῖαν λαβεῖν αὔξησιν. οὐ πολὺ δὲ χρόνον εὐδαιμονήσασα κατεσκάφη, καὶ ἀνέμνησεν ἀοίκητος μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων· περὶ ὧν τὰ κατὰ μέρος ἀναγράψομεν ἐν τοῖς οἰκείοις χρόνοις. Id eſt: *Poſt hæc Ducetius, Siculorum princeps, omneis eiusdem gentis urbeis, præter Hyblam, in unam civitatis communionem redegit. & quia acris vir ingenii ac ſtrenuus erat; novis ac magnificis rebus animum adjecit. Ex publico enim Siculorum ærario magnis inſtructus opibus, urbem Menas, quæ patria eius erat, in apertum campum transtulit; & prope fanum Palicorum urbem præclaram condidit, quam à dictis diis Palicam nuncupavit.* Et poſt ſuprà ſcriptam Palicorum lacus deſcriptionem: *Ducetius itaque quum Palicam, ab ſe conditam, muro egregio cinxiſſet, agros circumjacentes civibus diviſit. Quæ urbs ſimul ob ſoli ubertatem ſimulque propter incolentium multitudinem brevi mirum in modum crevit. At non diuturna fuit ea felicitas. ſiquidem haud ita multo pòſt diruta eſt; & ad hoc usque tempus deſerta atque irreparata jecit. qua de re ſuo poſteà loco ſingulatim dicetur.* Condita fuit ea urbs à Ducetio Olympiadis LXXXI anno IIII; teſte ibidem Diodoro: id eſt, ante natum Ieſum anno CCCCLIII. Quando & à quibus mortalibus poſteà deleta fuerit, nusquàm apud Diodorum nec alibi adnotatum reperitur. Eâ deletâ, in priſtinam ſedem Menas remigraſſe incolas, ſuprà in Menarum deſcriptione docuimus. De Palicæ reliquiis ita ſcribit Fazellus, decad. I, lib. III, cap. II; poſt Palicorum lacus deſcriptionem: *Quum igitur rei novitate ac miraculis allecta eò populi frequentia confluereet, Ducetius juxta hoc Palicorum templum in colle, qui lacui prominet, urbem, in quam ſe advenæ reciperent, condidit: Palicamque à diis vicinis adpellavit. Exſtant hodiè in colle huius urbis veſtigia, non magno tamen ambitu comprehenſa.* Et decad. I, lib. X: *Menæno ad duo paſſuum millia Palicorum lacus ſubeſt: ubi & templum olim eiusdem nominis erat. cui incubat ad jactum fundæ in colle prominenti Palica jacens urbs.* At Diodorus dicto lib. XI, de Ducetio loquens, Τὰς Μένας, inquit, μετῴκισεν εἰς τὸ πεδίον, καὶ πλησίον ἐκ πρόκης τῶν ὀνομαζομένων Παλίκων ἔκτισε πόλιν, ἣν ἀπὸ τῶν προειρημένων θεῶν ὠνόμασε Παλίκην· id eſt; *Menas, in campum transtulit, & prope fanum Palicorum urbem condidit, quam à dictis diis Palicam nuncupavit.* Et ipſum templum fuiſſe in campo, teſtatur ibidem poſteà his verbis: Ἔστι δὲ τὸ πρόπυλον ἐν πεδίῳ θεοπρεπεῖ κεκοσμημένον. id eſt: *Situm id templum eſt in campo deorum maieſtate maximè digno.* Fazellus ait urbem illam in colle non magno fuiſſe ambitu. è contrario Diodorus tradit, Ducetium condidiſſe πόλιν ἀξιόλογον, id eſt, *urbem præclaram atque inſignem:* quam etiam poſteà ait cinctam fuiſſe τείχει ἀξιολόγῳ, *inſigni muro*; id eſt, *amplo.* eamdemque, ita ſatis amplam à primo conditore exſtructam, accepiſſe τὰχεῖαν αὔξησιν καὶ εὐδαιμονίαν, *ſubitum incrementum ac felicitatem, διὰ τὸ πλῆθος τῶν οἰκητόρων, propter multitudinem ineolentium.* Quapropter in ipſo cum Palicorum æde campo fuiſſe hanc Palicam urbem, aliusque cuiusdam fabricæ eſſe illa in dicto colle veſtigia, certum eſt.

Cæterùm

ERYCE opidum; & ERYCES amnis.

Cæterùm eidem Palicorum lacui imminebat à meridie *urbs* in primis antiqua Ἐρύκη, ERYCE; sive, Latino ore si formes, ERYCA, & ERVCA; in monte sita. *Opidani* inde sunt apud Stephani epitomatorem Ἐρυκαῖοι, ERYCAEI, & Ἐρυκλωοὶ; ERYCENI. Ἐρύκη, inquit, πόλις Σικελίας· φίλις Σικελικῶν δόλιπρα. τὸ ἐθνικὸν Ἐρυκῆνος. Id est: *Eryce, opidum Siciliæ: auctore Philisto, Sicular. rer. lib.* II. *Gentilitium inde Erycæus.* At alibi: Παλίκη, πόλις Σικελίας. ὁ πολίτης, Παλικλωὸς, ὡς τὸ Ἐρύκης Ἐρυκλωός· καὶ τὸ ἡλυκὸν Παλυκλωή. Id est: *Palice, opidum Siciliæ. opidanus inde Palicenus: ut Eryces Erycenus: & femininum Palicena.* Sic scilicet & alia. exempli gratia: Ὀμφάκη, πόλις Σικελίας· τὸ ἐθνικὸν, Ὀμφακῆνος· ἔδει δὴ Ὀμφακλωὸς, τῷ τύπῳ τῆς χώρας. Hoc est: *Omphace, opidum Siciliæ. gentilitium, Omphacæus. sed debebat esse Omphacenus; peculiari videlicet regionis formâ.* Situm Eryces uti commodè demonstrare possimus, quædam ex Fazello præmittenda erunt. Is decad. I, lib. III, cap. II ita scribit: *Post Catanam urbem passuum millia* VIII *Terias fluvius in mare se exonerat, fluvius Catanæ & Iaretta hodiè adpellatus.* Et post huius prolixiorem descriptionem: *Quum Teriam trajeceris, ad* IIII *passuum millia Symæthi fluvii ostium occurrit. Adpellatur hodiè is à sancto Paulo. Quinque fontibus non longè à Mene urbe exsurgit. eorum hæc sunt nomina; Maculus, Pipinus, Ochula, Canalis Calcagnus, & Fons ferratus. Hic idem ille est fluvius apud auctores celeberrimus; quòd ad eius verticem, qui à faucibus passuum millia fermè* XXX *recedit, Thaliam nympham, à Iove compressam, duos peperisse gemellos, poëtarum fabulis traditum est. quos quum illa, metu Iunonis, optaret à terrâ absorberi; paruit quidem terra nymphæ optatis: attamen eos paullo pòst in lucem edidit. unde Palici dicti; quasi ex terrâ renati. & pro diis à veteribus Siculis sunt habiti. quibus & lacum & templum, ad verticem huius fluvii exstantia, & miranda plura consecravit antiquitas.* Et decad. I lib. X: de Palica urbe loquens: *De hac urbe à nobis etiam lib.* III, *ubi de Symætho amne egimus, satis fusè, quemadmodùm & de lacu temploque Palicorum, tractatum est. Imminet ei ad meridiem passuum millia tria Catalfanus mons. ubi ingentis urbis vetustæ dirutæ, ac magnæ quoque arcis, miræ spectantur ex quadratis lapidibus ruinæ. Trinaciam hanc fuisse, Siculorum olim regiam, conjecturâ solummodo ex Diodori lib.* XII, *ubi eam non longè ab his locis abfuisse asserit, ducti aliqui suspicantur. Ego verò tametsi Siculorum id ædificium fuisse existimem: quænam tamen urbs suo tempore fuerit, ignorare me fateor. quin nec, quo aliquando loco steterit Trinacia, tametsi diu multumque à me pervestigata, possum adstruere.* Hactenus Fazellus. cuius multiplicem circa hæc loca errorem suprà, lib. I, cap. X, ostendi. ubi antiquorum *Symæthum* esse eum docui amnem, qui, totius insulæ maximus, vulgò nunc incolis vocatur *Iaretta: Teriam* verò eum, qui, Leontinorum urbi proximus, vulgò nunc dicitur *Fiume di S. Leonardo.* At causa totius erroris, qua Fazellus & alii Siciliæ auctores impulsi fuerunt, uti crederent Iarettam esse Teriam, Symæthum verò eum amnem, qui inter Iarettam & S. Leonardi flumen vulgò nunc vocatur *Fiume di S. Paolo,* inde nata est, quòd Virgilius poëta ait *aram Palicorum* esse *circùm Symæthum flumen:* unde etiam Vibius, in Catalogo fluminum, *vicinum Palicis Simetum* pronunciavit: divi autem Pauli amnis haud procul Palicorum stagno, ut modò è Fazello intelleximus, exoritur. Verùm hunc amnem esse antiquorum *Erycen*, ruinasque illas ad fonteis eius in monte Catalfano esse reliquias veteris urbis *Eryces*, ex Macrobio simul & Stephani epitomatore disco. quorum ille suprà memorato Saturnalior. lib. V, cap. XVIIII, ita tradit: *Callias in septimâ historiâ de rebus Siculis ita scribit:* Ἡ δὲ Ἐρύκη τῶν μὲν Γελώας ἔστιν ἐντεῦθεν σταδία διέσηκεν. ὄπιεικῶς δὲ χέρρονησός ἐστιν τὸ πᾶν ὄρος ἡ παλαιὸν Σικελῶν γεγυμνωμένη πόλις, ὑφ' ἣ καὶ νῦν Δέλυς καλουμένας εἶναι συμβέβηκεν. ἔστι δὲ κρατῆρες δύο εἰσὶν, οὓς ἀδελφοὺς τῶν Παλίκων οἱ Σικελιῶται νομίζουσιν. Hoc est: *Eryce ab Gelensium finibus* XC *circiter stadia distat. Valdè autem deserta atque inculta sunt cùm mons, tùm quod quondam in eo fuit Siculorum opidum: sub quo & Delli siti sunt. Hi verò crateres sunt duo; quos fratres esse Palicorum, Siculi existimant.* Apud Stephani epitomatorem hæc sunt: Ἀκράγας, πόλις Σικελίας, ἀπὸ ποταμοῦ τοῦ διαῤῥέοντος. φησὶ γὰρ Δῶρος, ὅτι αἱ πλεῖσται τῶν Σικελικῶν πόλεων ἐκ ποταμῶν ὀνομάζονται· Συρακόσσαι, Γέλαι, Ἱμέραν, Σελινοῦντα, Φοινικοῦντα, Ἐρύκλη, Καμίκην, Ἁλυκόν τι Θέρμον, καὶ Καμαρίναν. Id est: *Acragas, urbs Siciliæ, à præfluente amne dicta. ait quidpe Dorus, plerasque Sicularum urbium à fluminibus nomina accepisse; Syracusas scilicet, Gelam, Himeram, Selinûntem, Phœnicûntem, Erycen, Camicum, Halycum, Thermum, Camarinam.* Ex his igitur cùm Stephani epitomatoris tùm Calliæ verbis disertissimè patet, prædictas in Catalfano monte ruinas esse *Eryces urbis* vestigia; flumenque divi Pauli, quod ad hunc

ad hunc montem exoritur, esse veterum *Erycen amnem*. ad cuius fonteis urbs posita, eâdem ratione nomen inde traxit, ut ad *Halyci* fluvii ortus urbs *Halyciæ*; quæ vulgò hodiè vocatur *Salemi*, in occidentali versùs Lilybæum insulæ parte. Iam verò Virgilii illum locum in suprà scriptis versibus quod attinet; solens ille suo more isthic licentiâ usus est poëticâ paullo laxiore, ubi dixit,

——— *Simethia circùm*
Flumina; pingvis ubi & placabilis ara Palici.

Sic scilicet ad consimilem modum inter alia & illud cecinit Aeneid. lib. I:

Antenor potuit, mediis elapsus Achivis,
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum & fontem superare Timavi;
Vnde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare proruptum, & pelago premit arva sonanti.
Heic tamen ille urbem Patavi sedeisq; locavit
Teucrorum.

Vnde posteà imperitâ ineptâque Virgilii imitatione, ut in Italiæ descriptione latiùs ostensum, sic cecinit Lucanus lib. VII:

Euganeo, si vera fides memorantibus, augur
Colle sedens; Aponus terris ubi fumifer exit,
Atque Antenorei dispergitur unda Timavi.

At millia passuum sunt inter Aponum & Timavum circiter XC. Aponus verò, hodièque *Abano* dictus, IIII tantùm millia à Patavio distat. Ad eumdem igitur modum Virgilius aram Palicorum circùm Symæthum flumen esse dixit, licèt XII circiter millia passuum interjecta sint. Grammatici posteà poëtæ magis spectarunt verba, quàm rem ipsam. unde illud Vibii, in Catalogo fluminum: *Simetos, Siciliæ, vicinus Palicis*. Sic & Pompon. Sabinus; ad præscriptum Virgilii locum commentans: *Supra Catanen & Centuripas Symethus fluvius est, in Siciliâ. propè est fabula Palicorum*. Et item Servius: *Symæthos, fluvius est Siciliæ, haud longè ab urbe Catanensi; circa quem sunt Palici dei*. Sed Symæthum esse Iarettam, satis abundéque suprà lib. I, cap. X, demonstratum est. Cæterùm antiquissima *Erycis* urbis memoria est illa apud Stephani epitomatorem Philisti; qui circa exitum Dionysii maioris, Syracusanorum tyranni, historias suas conscripsit: teste Diodoro lib. XIIII. Quando & à quibus mortalibus tandem omnis eversa fuerit, nusquàm adnotatum reperitur.

CAP. X.

Capitoniana, Gelensium Philosophiana, Petiliana, Calloniana, Corconiana; loca incertæ condicionis. Opida, Callonia sive Caulonia, Nonymna, Calvisiana, Hybla minor sive Heræa, Acræ, Acrillæ, Apollinis Libystini fanum, Inacha, Motyca, Neetum, Casmenæ, Cacyrum, Bidos, Echetla, Adryx, Merusium, Talaria, Mactorium.

PORRÒ itinera à Catanâ Agrigentum versùs apud Antoninum perscripta sunt huiusmodi:

A Catinâ Agrigentum, mansionibus nunc institutis, M.P.XCI, sic:

		Catina	
Capitonianis	XXIIII.	*Capitonia*	XXIIII.
Philosophianis	XXI.	*Gelasium Filosophianis*	XXI.
Callonianis	XXI.		
		Petilianis	XXVIII.
Corconianis	XII.		
Agrigentum	XIII.	*Agrigentum*	XVIII.

Numeros heic singulorum intervallorum minimè esse corruptos, patet primùm ex eo, quòd summa XCI millium utrobique congruit; tum, quòd eadem summa in capite